

DE MODO MULTARUM, QUAE AB IUDICIBUS INFLIGUNTUR.

1.54.1

*Imp. Severus et Antoninus AA. Firmo.*

Multa damnum famae non inrogat.

*D. V id. April. Antonino A. et Geta utrisque II cons.* [a. 205]

1.54.2

*Imp. Alexander A. Decimo.*

Procuratores meos, id est rationales, indicendae multae ius non habere saepe rescriptum est.

*D. XIII k. Sept. Modesto et Probo cons.* [a. 228]

1.54.3

*Imp. Gordianus A. Celeri.*

Curator rei publicae, qui Graeco vocabulo logista nuncupatur, multandi ius non habet.

*D. id. Sept. Gordiano A. et Aviola cons.* [a. 239]

1.54.4

*Imp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Eutropio pp.*

Illustres viros praefectos praetorio usque ad quinquaginta librarum auri multas, cum peccatum gravissimum erit, sinimus pervenire.

*D. VIII id. Ian. Gratiano V et Theodosio AA. cons.* [a. 380]

1.54.5

*Imp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. ad Praetextatum pp.*

Multarum severa compendia aerario nostro protinus esse quaerenda nullus ignoret, nisi ipse iudex id, quod ad poenam admissi facinoris exsculpitur, vel publicis operibus vel cursui publico vel aliis necessariis causis specialiter deputaverit.

*D. V id. Sept. Aquileiae Ricomere et Clearcho cons.* [a. 384]